

	Greg. Tit.	Sext. Tit.	Clem. Tit.	Ex. J. XXII, Tit.	Ex. Com. Tit.
De raptoribus, incendiariis, etc.	XVII				
De furtis.	XVIII				
De usuris.	XIX				
De crimine falsi.	XX				
De sortilegiis.	XXI				
De collusione detegenda.	XXII				
De delictis puerorum.	XXIII				
De clerico venatore.	XXIV				
De clerico percussore.	XXV				
De malediciis.	XXVI				
De clerico excommunicato, etc.	XXVII				
De clerico non ordinato ministrante.	XXVIII				
De clerico per saltum promoti.	XXIX				
De eo, qui furtivè ordinem suscepit.	XXX				
De excessibus Prælat. et subditorum.	XXXI	VI	VI		
De novi operis nuntiatione.	XXXII				
De privilegiis, et excessibus privil.	XXXIII	VII	VII	XI	VII
De purgatione canonica.	XXXIV				
De purgatione vulgari.	XXXV				
De injuriis et damno dato.	XXXVI	VIII			
De pœnis.	XXXVII	IX	VIII	XII	VIII
De pœnitentiis et remissionibus.	XXXVIII	X	IX		IX
De sententiis excommunicationis, etc.	XXXIX	XI	X	XIII	X
De verborum significatione.	XL	XII	XI	XIV	
De regulis juris.	XLI	XIII			

## PROLEGOMENA

## JURIS CANONICI.

Hic præscienda sunt ea omnia, quæ in Prolegomenis Juris civilis, præsertim ad *tit. Inst. et ff. de Justitia et Jure*, traduntur; et his præcognitis, inchoandum Jus Canonicum à consuetis Prolegomenis.

## § I.

## De natura, causis et effectibus Juris Canonici.

4. *Nota. I.* Jus ab ecclesia pro dirigendis fidelibus constitutum variis nominibus appellari: nam dicitur *Jus Canonicum*, quia canones continet: *Ecclesiasticum*, seu *Pontificium*, quia à potestate ecclesiastica seu pontificia descendit: *Sacrum*, quia principaliter agit de personis et rebus sacris; et quondam dicitur *Jus Divinum*, non quod immediate à Deo conditum sit, sed quod SS. Canones à Sede apostolica constituentur instinctu Dei Ecclesiam suam dirigentis. Hoc sensu procedit c. 2. *de privil. in 6.* ibi: *providimus, quod ibidem*, (apud Sedem apostolicam) *de cetero regatur, et vigeat studium Juris divini et humani, canonici videlicet et civilis.*

*Nota. II.* Jus Canonicum tribus modis accipi posse: 1.º *metonymicè* tanquam continens pro contento: quo sensu volumen, seu corpus canonum vocatur Jus Canonicum. 2.º *objectivè* pro ipsis canonibus seu constitutionibus ecclesiasticis. 3.º *denominativè* pro ista disciplina, seu scientia Canonum, quæ retinens nomen sui objecti et principii, pariter Jus Canonicum denominatur (*arg. l. 1. pr. ff. de Just. et Jure.*)

*Nota. III.* *Jus Canon.* quoad nomen esse *jus regulare*, quia *Canon* græcè, latinè *Regula nuncupatur* c. 1. d. 3. Dicitur autem *jus regulare* per excellentiam, cum *Canon* in usu juris antonomasticè significet regulam ec-



clesiasticam inter humanas regulas principem: sicut *jus civile* sine addito antonomasticè significat *jus romanum* (§. 2. *In. de Jure naturali, gentium et civili.*)

2. Q. I. *Quid sit jus canonicum quoad rem?*

R. Objectivè spectatum, est jus positivum à summa potestate ecclesiastica conditum, dirigens actiones fidelium ad bonum spirituale, et ultimò ad vitam æternam. Denominativè verò spectatum, est facultas seu scientia, quæ circa cognitionem hujus juris occupatur. Ità in re communis, cujus explicatio ex seqq. patebit.

3. Q. II. *Quæ sit causa efficiens, seu auctor juris Canonici?*

R. Causa proxima principalis est summus Pontifex, vel solus, vel cum concilio (c. 1. et seqq. d. 49.); nam summa potestas ecclesiastica, cujus jure tota Ecclesia obligetur et gubernetur, residet in summo Pontifice Vicario Christi, ut ex *Joan. ult. Pasce oves meas*; ergò Papa est conditor juris canonici sive per se, sive cum concilio canones condit. Porrò prima origo Canonum desumenda est ab Apostolis, qui plures cœtus celebrarunt, et varios Canones ediderunt, ut *Act. 15.* de abstinendo ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. Tùm successerunt varii Canones Apostolorum magis de ore ad os traditi, quam scripti. Tandem decreta Conciliorum et Summorum Pontificum. Hæc omnia legi possunt tota d. 45. 46. 47. 48. 49. 20.

*Obj. 1.º* In jure canonico traduntur mysteria fidei, ut *tit. de Sum-Trin.*—*2.º* Immisceantur jura naturalia et divina, ut de simonia, usuris, sacramentis etc.—*3.º* Ponuntur canones conciliorum particularium, dicta Patrum, constitutiones imperiales, variæ consuetudines et usus Ecclesiarum; ergò solus Papa non est conditor juris Canonici.

R. *Ad 1.º* Mysteria fidei proximè et directè non pertinent ad jus canonicum, nisi ratione pœnarum in hæreticos statutarum; benè verò remotè per modum fundamenti, quatenus SS. Canones in fide catholica fundantur; nam Papa non definit dogmata fidei ut legislator, sed ut summus Ecclesiæ theologus et doctor œcumenicus, cui Christus potestatem dedit definiendi ea, quæ scripto vel tradito divinitus revelata sunt.—*Ad 2.º* Jura naturalia et divina, tanquam principia superiora et generaliora pertinent ad jus canonicum, quia Papa utpotè Legislator inferior iis utitur, applicandò et determinando illa ad casus particulares, vel delictis pœnam apponendo—*Ad 3.º* Hæc omnia non aliter obtinent vim juris communis, nisi quatenus à Sede apostolica approbantur (*Can. 1. pr. d. 49.*), qua approbatione elevantur in jus Pontificium, juxta illud: *Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impartimur.* (L. 1. §. 6. C. de V. J. E.)

4. Q. III. *Quæ sint causæ instrumentales juris Canonici?*

R. Sunt varii compilatores ejusdem; uti erant *Dionysius Exiguus* monachus circa annum 527; *Fulgentius Ferrandus* diaconus carthagin. cujus opus à Cresconio vocatur *Breviarium* (can. 34. d. 63.); *Martinus*, non Papa, ut quandòque in decreto citatur, sed Episcopus bracharensis: *S. Isidorus* Episcopus hispal., et alius *Isidorus Mercator*, vel *Peccator*, ut quidam volunt, Episc. setubensis; *Burchardus* monachus benedict., postea Episcopus

Vvormatiensis, cujus decretum viginti libris constat: *Card. Deusdedit*; *Anselmus* Episc. lucensis; *Ivo Carnotensis*; *Gratianus* monachus benedictinus, cujus opus seu Decretum vocatur *Concordia discordantium Canonum*. Tùm secutæ sunt variæ compilationes epistolarum decretalium, quas collegit *Bernardus Balbus*, *Joannes Valens* seu *Gallensis*, *Petrus Beneventanus*, *Tancredus*; et jussu *Gregorii IX.* *S. Raimundus de Pennafort* compilavit quinque libros decretalium. His accessit *Sextus Bonifacii VIII.*, *Clementinæ Clem. V.*, *Extravagantes Joan. XXII.* et *Communes*.

5. Q. IV. *Quæ sit materia juris Canonici?*

R. Materia, seu objectum materiale circa quod, sunt actiones fidelium ut dirigendæ per sacros canones; particularis materia cujusque Canonis est illa, de qua specialiter disponitur in tali canone. Materia ex qua, sunt partes et canones, ex quibus integratur jus canonicum ut infrà dicitur. Materia in qua, sunt omnes fideles seu baptizati, etiam Reges et Principes: nam hi omnes sunt oves subjectæ summo Pastori, seu Vicario Christi, *Joan. ult.*: idque valdè decuit, ut potestas politica, tanquam inferior, subordinaretur potestati spirituali, tanquam superiori, sicut caro spiritui, ut benè ostenditur *can. 1. et seqq. d. 40.*, et probat *Inn. III.* in c. 6. de *Major. et Ob.* ubi summarium ità concipitur: *Imperium non præest sacerdotio, sed subest, et ei obedire tenetur*, putà in spiritualibus et in his quæ spiritualia concernunt. Papa autem non subest juri canonico nisi directivè, quia *Princeps legibus solutus est* (l. 31. ff. de LL.)

*Obj. 1.º* Saltèm Principes summi non debent subesse juri canonico, quia Princeps Principi non subjicitur, cum non habeat imperium par in parem (c. 20. de elect.)—*2.º* Moyses princeps politicus non fuit subjectus Aaroni summo sacerdoti.—*3.º* Imperio annexa est summa dignitas Pontificalis, et ideò Imperatores, etiam catholici, gerebant titulum *Pontificis Maximi*.

R. *Ad 1.º* N. A. Nam princeps laicus in spiritualibus non est princeps et pastor, sed subditus et ovis commissa Vicario Christi.—*Ad 2.º* Moyses simul fuit summus sacerdos et propheta: *Ps. 98. v. 6. Moyses et Aaron in Sacerdotibus ejus.*—*Ad 3.º* Imperatores catholici semper agnoverunt se subditos Vicario Chisti, ut patet in *Constantino M.* etc. Quod verò admiserint nudum titulum *Pontificis Maximi*, causa fuit, ut respectu gentilium majorem sibi venerationem conciliarent, qua causa cessante, cessavit titulus iste in *Gratiano Imp.* (vide *Spondan. ad an. 312 et 383.*)—Hic etiam objici possunt textus ex *Rom. 13. Omnis anima. Tit. 3. Admone illos*, et plures constitutiones imperiales super personis, et rebus ecclesiasticis, (ut in *C. tit. de SS. Eccl. de Episc. et Cler., de Episcop. audient.* etc.) Sed hæc et similia solvantur ex *tota dist. 10.* et 96.

6. Q. V. *Quæ sit forma juris canonici?*

R. Forma seu objectum formale quod est rectitudo quæ per directionem SS. Canonum inducitur in actiones fidelium, cum talis rectitudo per se et primariò intendatur à jure Canon. (*arg. c. 1. de Constitut.*); forma verò extrinseca est series et dispositio titularum.

7. Q. VI. *Quis sit finis et effectus juris canonici?*



R. Finis proximus est bonum vitæ christianæ, maximè in actibus externis relucens; remotus verò est beatitudo æterna (*cap. 8 d. 10.*) hoc enim tendunt jura ecclesiastica: effectus primarius et immediatus est obligatio ad observantiam SS. Canon. (*cap. 1 de Constit.*) Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Ex qua observantia sequitur bonum spirituale Ecclesiæ et fidelium.—Alter effectus est obligatio ad scientiam, putà proportionaliter cujusque statui. Ità *Can. 1. d. 38* statuitur: *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, et Canones etc.* Sic etiam in jure civili (*lib. 42. C. de J. et F. J.*) rescribitur: *Constitutiones Principum nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus.* Nam quod publicè propositum est ignorare non licet, cum id adversetur virtuti studiositatis. Undè Nicolaus I (*c. 2. d. 20*) rectè rescribit Photio: *Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi. Si verò habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi et arguendi.*

## § II.

## De qualitatibus Juris Canonici.

8. Q. I. *An sacra jurisprudentia sit vera scientia?*

R. Affirmativè (*arg. l. 10. in fin. ff. de J. et J.*); nam omnia requisita habet ad veram scientiam: et quidem 1.º principia infallibilia, scilicèt veritates naturales et theologicas, quibus SS. Canones innituntur.—2.º habet conclusiones scientificas tam in materia communi, quam speciali v. g. Canonem esse obligatorium, quia est rationabile præceptum superioris ecclesiastici; postulationem ad prælaturam non tribuere jus, quia est assumptio personæ impeditæ; electionem contra SS. Canones celebratam esse nullam, quia est actus carens forma debita etc.; ergò.—Porrò hic dubitatur, an sacra jurisprudentia entitativè seu substantialiter distinguatur à sac. theologia. Multi dicunt non distingui, nisi extensivè penes objecta materialia, cum theologia completè spectata omne id attingat, quod tractatur in jure canonico. Alii, præsertim extra scholam thomisticam, qui faciliùs multiplicant habitus scientificos, asserunt sacram jurisprudentiam esse scientiam subalternatam sacre theologiæ, sicut civilis jurisprudentia subalternatur ethicæ. Sed in hac metaphysica quæstione non oportet canonistam sollicitum esse, cum decisionem ex Canonibus habere nequeat. Sive autem unam, sive alteram sententiam sustineat, meritò sacram jurisprudentiam ex fine suo principali asseret practicam, utpotè ad dirigendas actiones fidelium ordinatam, sicut differentia *practici* magis attribuitur theologiæ morali, licèt aliòquin sacra theologia adæquatè accepta sit formaliter eminenter speculativa et practica, ut Thomistæ docent.

9. Q. II. *An jus canonicum sit nobilius jure civili?*

R. Affirmativè ex tota *dist. 10.* ubi *Can. 6. S. Greg. Naz. de Episcopis* ait: *Dedit enim et nobis potestatem, dedit et principatum multò perfectiorem principatibus vestris.* Nam jus civile originem suam habet à populo; fertur in certum populum, ut Romanum; habet materiam profanam et finem temporalem. Econtrà jus canonicum oritur à potestate Pontificali à Christo Domino Petro et successoribus ejus data; fertur universaliter in omnem populum christianum, habet materiam spiritualem aut spirituali annexam et finem spiritualem vitæ christianæ et salutis æternæ.

10. Q. III. *An, et in quibus jus canonicum et civile conveniant et differant?*

R. Conveniunt in seqq.; quia utrumque jus pro objecto materiali remoto habet *personas, res et actiones* (*leg. 1 ff. de stat. hom.*); utrumque dirigit actiones humanas et intendit bonum commune; atque utriusque tria sunt præcepta: *honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere*: (§. 3. *In. de J. et J.*)—Econtrà differunt in seqq.: quia jus canonicum primariò versatur circa *personas, res et actiones sacras*; civile circa *profanas*. Jus canonicum dirigit actiones fidelium per canones à potestate spirituali latas, intendit pro fine bonum spirituale vitæ christianæ et felicitatis æternæ: jus verò civile dirigit actiones civium per leges à potestate laica latas, intendit pro fine bonum temporale civium, et felicitatis politicæ seu temporalis. Particulares differentias utriusque juris in decursu videre poteris. Vide hic Reiff. à n. 193.

11. Q. IV. *An jus canonicum præstet sacre theologiæ?*

R. Negativè: nam hæc ex objecto suo est altissima et eminentissima scientia, ac sapientia judicans de principiis eujuseumque scientiæ inferioris, an veritatibus divinis conformia sint: econtrà jus canonicum vel est scientia subalternata sacre theologiæ, ex cujus fontibus sacri canones desumpti sunt; vel est quædam portio theologiæ moralis: ergò jus canonicum non præstat sacre theologiæ.—Si tamen agatur de promotione ad dignitates, v. g. ad episcopatum, canonista in locis non suspectis de hæresi præferendus est puro theologo: in locis verò hæresi infectis theologus puro canonistæ, ut docent Felin. Abbas, et alii. Melior erit, si rectam utriusque cognitionem habuerit. Hinc necessarium est, ut canonista apprime imbutus sit sacra theologia, nè in rebus divinis allucinetur, sicut quosdam allucinatos fuisse observarunt sapientissimi theologi.

## § III.

## De divisione, partibus et auctoritate Juris Canonici.

12. Q. I. *Quomodo jus canonicum dividatur?*

R. 1.º *In scriptum*, quod expressa voluntate Papæ, et non *scriptum*, seu



*consuetudinarium*, quod moribus fidelium introductum est, accedente saltem tacito et juridico consensu Papæ (*can. 3 d. 11*); nam per *can. 2. d. 4 omne jus legibus et moribus constat*.—2.<sup>o</sup> in *jus commune* totam Ecclesiam obligans; et in *particulare*, seu *statutarium* quod certum locum fidelium obligat, uti est *nationale* pro toto regno seu natione, *provinciale* pro tota provincia, et *diæcesanum* pro tota diæcesi.—3.<sup>o</sup> in *jus commune specificè*, quod clausum est in corpore juris canonici, et *jus commune non clausum*, seu vagans extra corpus juris canonici, uti sunt multæ constitutiones papales.

An verò jus canonicum ad instar juris civilis dividi possit in *publicum* et *privatum*? dubium est. Negativa suadet ex eo, quia jus consistens in sacris et sacerdotibus est jus publicum (*l. 1 § 2 ff. de J. et J.*); sed totum jus canonicum consistit in sacris et sacerdotibus; ergò totum est publicum, seu per se ad utilitatem publicam ordinatum. Si tamen illa quæ ad publicam Ecclesiæ gubernationem spectant, distinxeris ab his, quæ ad privatum spirituale commodum fidelium ordinata sunt, quamdam umbram juris canonici *publici et privati* facies.

13. Q. II. *Quæ sint partes principales clausæ in Corpore juris canonici?*  
R. Sex. 1.<sup>a</sup> est *Decretum Gratiani* cum *paleis*, canonibus pœnitentialibus, et apostolicis.—2.<sup>a</sup> *Decretales*, seu quinque libri decretalium (putà epistolarum, sumpta denominatione à potiori) Greg. IX.—3.<sup>a</sup> *Liber sextus decretalium* Bonif. VIII. in quinque libros divisus.—4.<sup>a</sup> *Clementinæ*, subaudi constitutiones Clem. V., in quinque libros divisæ.—5.<sup>a</sup> *Extravagantes Jo. XXII.*—6.<sup>a</sup> *Extravagantes communes*, subintellige constitutiones diversorum Pontificum.

His additur in recentioribus exemplaribus *Lib. VII decretalium* à Petro Matthæo Jeto. Lugdunensi compilatus: *Institutiones juris Canon.* Joannis Pauli Lancellotti Jetti. Perusini. *Liber verò VIII decretalium* jussu Clement. VIII. editus, mòx suppressus fuit, ne in textus Trident. ei insertos glossæ fierent contra prohibitionem Pii IV in Bulla: *Benedictus Deus*.

14. Q. III. *Quam auctoritatem obtineant dictæ partes juris canonici?*  
Certum est 1.<sup>o</sup> quod *decretales* Gregor. IX. et Bonifac. VIII. *Clementinæ*, et *Extravagantes Joann. XXII.* obtineant vim juris Pontificii totam Ecclesiam obligantis, exceptis his, quibus per jura posteriora derogatum est. Nam *decretales* à S. Raymundo Pennafortio compilatas approbavit Gregorius IX, easque in judiciis adhiberi et in scholis prælegi præcepit, ut patet ex bulla iis præfixa, quæ ideò directa est ad universitatem Bononiensem, quia ibi maximè floruit studium Juris. Similiter *Sextus decretalium* à conditore suo promulgatus est in concilio lugdunensi; *Clementinæ* editæ in concilio vienensi, quas etiam Joannes XXII Avennione promulgavit, et suas constitutiones 20 approbavit. 2.<sup>o</sup> *Extravagantes communes* à nullo Pontifice expressè fuisse approbatas, communiter tamen haberi pro jure novo et notorio, licet in dubio circa sensum illarum Sedes apostolica consulenda sit (*cap. 8 de fide instrum.*) 3.<sup>o</sup> *Librum VII et VIII decretalium* à nullo Papa confirmatos fuisse, adeoque Constitutiones in eis relatæ reducendæ sunt ad suos auctores. *Institutiones verò Lancellotti*, cum auctoritate apostolica

confirmatæ non sint, vim juris non habent. 4.<sup>o</sup> *Canones 47 pœnitentiales*, qui sunt certæ regulæ præscribentes delinquentibus pœnitentias, hodiè ob fragilitatem humanam ferè ab usu recessisse; notitia tamen eorum utilis est confessariis, ut saltèm admoneant pœnitentes, quam pœnitentiam secundum rigorem Ecclesiæ sustinere deberent. Imò canones isti videntur statuti pro pœnitentia solemnè olim usitata, non verò semper et in omni casu pro foro interno sacramentali, ne violatio sigilli sequeretur. Superest dubium de decreto Gratiani, et Canonibus Apostolorum, ad quod:

R. *Decretum Gratiani non obtinet vim juris Pontificii: bene verò sinceri Canones Apostolorum.* Prima pars est communiter recepta contra Abbat. Felin. Morlam, et alios; nam decretum hoc compilatum est à Gratiano doctore privato; neque constat illud ab aliquo Pontifice confirmatum esse, seu canonizatum instar Juris Pontificii. Multò minùs *paleæ* decreto insertæ vim juris habent, cum neque Gregor. XIII. in bulla decreto præfixa ullam earum mentionem faciat. Undè autem nomen *paleæ* descendat, incertum est. Aliqui dicunt *paleam*, seu *proto*, aut *quoto paleam* fuisse Cardinalem, qui canones illos adjecerit, tanquam res leves, et ideò Gratianus fertur coràm Papa dixisse: *palea est, nec de grano meo*. Alii *paleam* à græco derivantes dicunt esse adjectionem veterum canonum. Verius est *paleam* esse nomen proprium cujusdam discipuli Gratiani, qui decreto sui magistri Canones illos addiderit.—Probatur 2.<sup>a</sup> pars ex codice canonum Ecclesiæ romanæ, ubi quinquaginta priores Canones, Apostolorum dicti, inserti sunt à Dionisio Exiguo. Quorum tamen tres ab Ecclesia palàm repudiantur, nempe 46. 47. de Baptismo hæreticorum non recipiendo (quos duos, docet Doviati. lib. 3. c. 2. n. 9. *Prænot. canonic.* adhibita distinctione servari adhuc non absurdè dice posse), et 50. de trina mersione in Baptismo necessariò usurpanda: nam 6. 10. 20. et 27 ex cit. Doviati. habent alium intellectum ab eo, quem nonnulli putent.

Obj. 1.<sup>o</sup> *Decretum Gratiani*, teste Tuscho et aliis, confirmatum est ab Eugenio III. et Sixto III., imò etiam à Greg. XIII in bulla decreto præfixa.—2.<sup>o</sup> Capitula ex Decreto quotidie allegantur in judiciis et scholis, et ipsi Papæ illa allegant; (ut c. 7. *de his quæ à Prælato*, c. 8. *de despons. impub.* etc.); ergò censetur authenticum, et saltèm tacitè approbatum.

R. Ad 1.<sup>am</sup> Confirmatio ista necdum est reperta, nec Greg. XIII *Gratiani librum tanquàm legalem authenticavit, cum solùm emendari jusserit et emendationes sine additionibus, aut detractionibus mandaverit observari.* (Ità decisio 480. S. Rotæ apud Gonz. cit. n. 50) Undè canones, seu textus decreti revocandi sunt ad primævam auctoritatem suorum conditorum, scilicet, textus scripturæ ad auctoritatem divinam, textus legales Pontificum et conciliorum ad eorum auctoritatem, textus desumpti ex jure civili ad auctoritatem imperialem, ut ex hoc, quod ponantur in Decreto non censeantur canonizati. Denique textus Patrum et multi textus doctrinales Pontificum, qui ut privati doctores scripserunt, non sunt juridicè decisivi, sed directivi pro instructione, nisi reperiantur à Sede apostol. approbati instar juris Pontificii.—Ad 2.<sup>am</sup> Ista allegatio non tribuit majorem auctoritatem, quam Canones in suis authographis habeant. Undè dum Pontifices ali-



quid allegant ex decreto, supponendum est id reperiri in formis authenticis.

*Dices contra secundum:* Canones Apostolorum à *Trid. Sess. 4.* non numerantur inter libros Canonicos.—2.<sup>o</sup> In his canonibus multa sunt falsa, ut in *c. 5. et 45.*, et ideò Gelas. Papa Canones Apostolorum ponit inter libros apocryphos *c. 3. d. 45.*

R. *Ad 1.<sup>m</sup>* In cit. *Trid.* enumerantur libri Canonici auctoritatis divinæ seu Sacræ Scripturæ, quo sensu capitula ista Apostolorum non sunt canonica, benè verò dicuntur canonica ob auctoritatem ecclesiasticam.—*Ad 2.<sup>m</sup>* N. ant. spectato genuino sensu: nam *c. 5.* præcipitur sustentatio uxoris, non commercium cum illa. *Can. 45.* reprobatur Baptismus sub alia forma collatus, ut dabatur à Gnosticis in nomine trium principii expertium, aut trium filiorum, à Paulianistis in nomine ignoti patris omnium, in veritate matris omnium etc. *Can. 65.* prohibetur jejuniis hæreticorum, qui jejunabant dominico, vel sabbato, ne videretur honorari Creator mundi. (Iren. Epiph. apud Bail. in his canonibus.) Gelasius verò reprobatur alios Canones Apostolorum ab hæreticis depravatos, cum sinceri et genuini Canones reperiantur à conciliis et Pontificibus approbati.

45. Q. IV. *Quid, et cujus auctoritatis sint rubricæ titulorum, superscriptiones et summaria capitulorum, glossæ et notæ?*

R. *Rubrica* à rubris litteris, quibus scribebatur, dicta, est inscriptio indicans materiam tituli, ut *De Summa Trinitate* etc. In libris authenticis magnæ est auctoritatis, cum libri isti unà cum rubricis approbati sint, et ideò *valet argumentum à rubro ad nigrum*, h. e., à rubrica ad textum capituli, dummodò textus non dissonet rubricæ, aliòquin inhærendum est nigro, seu textui tanquam magis speciali. Porrò rubrica continens sensum perfectum et completum, allegari potest *dispositivè* seu per modum regulæ generalis, v. g. *De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ, Ne Clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.* Si verò rubrica sensum perfectum non contineat, cum nihil disponat præcipiendo vel prohibendo, non potest allegari *dispositivè*, sed tantum *declarativè*, si capitulum sit obscurum, et *extensivè* ampliando textum capituli, dummodò non sequatur correctio juris, vel pœna, vel aliquid iniquum, aut contrarium consuetudini practicæ. Hic pro allegando affertur illa regula: *In dubio circa sensum, res et personas id eligendum est, quod est conformius rubricæ.*

*Superscriptiones capitulorum* sunt illa verba quæ indicant undè textus capituli desumptus, vel ad quem directus sit, v. g. *cap. 1. de Rescrip. Alexander III. Senonensi Archiepiscopo.* In libris authenticis sunt autenticæ, et ex illis validum est argumentum, cum resectis omnibus superfluis relictæ sint, et cum capitulis approbatæ, ut patet ex Bulla præfixa Decretalibus et Sexto.—At *Summaria*, quibus privati doctores capitula summarunt, non habent vim authenticam, sed tantum sunt doctrinalia ad majorem legentium commoditatem, licet ob auctoritatem gravium DD. æstimentur.

*Glossa* est uberior explanatio canonum, cujus auctores erant *Accursius, Bernardus, Tancredus, Joannes Andreas*, subaudi filius: quibus accedunt ve-

teres Interpretes *Innocentius IV.* antea dictus Sinibaldus, filiscus januensis, pater juris, qui ut privatus commentatus est in decretales; *Cardinalis Ostiensis*, qui vocabatur Henricus de Segusia; *Speculator*, seu Guilielmus Durandus, ita dictus à doctissimo opere, quod *Speculum juris* intitulavit; *Archidiaconus* bononiensis, aliàs Guido de Baysio; *Abbas* seu *Panormitanus*, qui vocabatur Nicolaus de Tudeschis, et alii, quorum catalogum texit Fagn. Barbos. etc.—*Nota* est brevior explicatio, vel additio citationum.—Jus glossa constans dicitur *glosatum*; constans verò notis dicitur *notis illustratum*, uti est jus civile cum notis Gothofredi. Literæ *S. J. C.* in glossa positæ significant: *Suprà in anterioribus, infrà in posterioribus, et contrà*, seu argumentum contrarium. Jam quod auctoritatem concernit, glossa non facit jus, licet reverenter audienda sit ob excellentem doctrinam glossatoris, dummodò ei non contradicant aliæ glossæ, vel alii doctores meliori jure et ratione nixi.

#### § IV.

Quæ extra Corpus Juris canonici obtineant auctoritatem Juris Pontificii?

Quæstio ista institui potest de Concilio Tridentino et aliis conciliis generalibus et particularibus, de magno Bullario, regulis Cancellariæ, declarationibus SS. Congregationum, et decisionibus Rotæ.

46. Q. I. *An concilia obtineant vim juris pontificii?*

R. 1.<sup>o</sup> Concilia generalia à Sede apostolica approbata faciunt jus Pontificium pro tota Ecclesia (*Can. 5. et seqq. d. 16.*): nituntur enim summa potestate ecclesiastica.—2.<sup>o</sup> Concilium Tridentinum quoad dogmata fidei est infallibilis veritatis, adeoque tenendum in tota Ecclesia. At quoad decreta morum vim habet Juris Pontificii novissimi in omni loco, in quo est promulgatum. Ità communis et certa catholicorum: nam concilium hoc sub tribus Pontificibus auctoritate legitima celebratum est, scil. sub Paulo III. Julio III. et Pio IV, et tandem absolutum integrum confirmatum fuit ab eodem Pio IV. (Bulla *Benedictus Deus* 1563. 7. *Cal. Februar. ad calcem Trid.*) Quia verò in quibusdam locis ob justas causas promulgatum non erat, in his non obligat quoad decreta reformationis disciplinam ecclesiasticam concernentia, donèc ibidem promulgetur—3.<sup>o</sup> Concilia particularia non habent vim juris Pontificii, nisi approbentur à Sede apostolica pro tota ecclesia (*Can. 6. d. 17.*); nam deficiente consensu Pontificio, nulli Episcopo, vel concilio competit summa potestas totam ecclesiam obligandi. Pro approbatis communiter habentur Ancyranum, Neocæsareense, Gangrense, Laodicense, et quædam alia, de quibus utiliter consules Compilatores conciliorum, cum eorum notitia maximè necessaria sit ad intelligendos sacros canones.



17. Q. II. *An Magnum Bullarium, continens constitutiones Pontificias habeat auctoritatem juris?*

R. *Negative*, nisi certò, saltèm moraliter constet, quod dictæ constitutiones ritè sint promulgatæ, usu receptæ, et per omnia conformes suo originali. Hinc stante dubio in iudicio non probant, nisi producantur in forma authentica, et quidem in curia romana sub sigillo Cancellarii, vel Camerarii, Auditoris, extra verò sub plumbo cum consueta subscriptione. Si *Breve*, seu *Diploma* apostolicum est, plerùmque constat brevi scriptura in papyro, cera rubra et annulo piscatoris sigillata, ac signo Secretarii notata et subscripta. Si *Bulla* est, scribitur plerùmque in membrana plumbo è funibus pendente munita, salutationem cum narratione, et concessionem Papæ continens.

18. Q. III. *Quid sint, et quid juris habeant Regulæ Cancellariæ apostolicæ.*

R. 1.º Hæ sunt certæ ordinationes Pontificiæ potissimum circa causas beneficiales et judiciales, quas singuli Pontifices circa initium sui papatus faciunt, vel à prædecessoribus factas renovant, augent vel minuunt. Dicuntur autem regulæ *Cancellariæ* à potiori, quia maximè concernunt litteras apostolicas in Cancellaria Papæ fieri solitas. Exempla harum regularum plura invenies in bullario magno.—2.º Regulæ istæ id habent speciale, quod ut primùm à noviter electo Papa assumuntur, statim obligent ante promulgationem, et mortuo Papa statim expirent, ut patet ex verbis apponi solitis: *licet nondùm publicatus, et suo tempore duraturas*. Neque eis derogatur per clausulas generales, nisi specialis et expressa illarum mentio fiat: per *reg. 71.*—3.º Regulæ omnes respectu Cancellariæ apostolicæ vim juris habent, nam constitutæ sunt legitima auctoritate papali; at extra curiam romanam illæ non obligant, quæ specialiter concernunt officiales ejusdem curiæ: illæ verò, quæ generales sunt, uti de reservationibus, dispensationibus, resignationibus, indulgentiis, annali vel triennali possessione beneficii, et hujusmodi, obligant extra curiam ad instar juris Pontificii, cum restrictæ non sint ad solam curiam romanam. Ut autem in iudicio probent, allegari debent in forma authentica, saltèm sub signo Vice-Cancellarii per *reg. 28.*, quæ tamen regula, ut dicit Chokier, non procedit de regulis aliundè notis, et numquam mutari solitis, ut est regula de viginti, seu infirmis resignantibus, de triennali possessore beneficii etc.

19. Q. IV. *Quæ auctoritas competat declarationibus Sacr. Congregationis Cardinalium Concilii Trid. Interpretum?*

Multi doctores à Gonzalez relati *in fin. App.* existimant istas esse solum doctrinales, magnæ tamen auctoritatis, neque habere vim decisivam, nisi in casu particulari proposito, et respectu personarum quæ casum illum proposuerunt. Vim juris eis attribuunt Rodriq. Cherub. Cohel. Fagnan. et plures alii. Sed ut certa ad incertis separemus:

R. 1.º Declarationes *extensivæ* quæ textum ampliant, vel *restrictivæ* quæ generalitatem textus restringunt, non habent vim juris; nam juxta Constit. Pii IV. *Alia nos* (4. non. Aug. 1564.) sacra ista Congreg. præfecta est decretis concilii tantùm exequendis, non verò interpretandis; deindè autem ex

concessione Pii V. et Constit. Sixti V. *Inmensa* §. *Deo autem II. Cal. Febr. 1587*, aliorumque Pontificum, data est Cardinalibus potestas tantùm *declaran- di et interpretandi* decreta Reformationis; non verò dispensandi, augendi, vel minuendi; ergò. Excipe, nisi illius decreta fiant cum speciali auctoritate et approbatione Papæ; tunc enim licet *extensiva* sint, vel *restrictiva*, obtinent vim juris Pontificii, sicut decreta de Regul. apostatis et ejectis, de celebratione Missar. et similia.

2.º Declarationes merè *comprehensivæ*, modò fiant consulto Papa, faciunt jus Pontificum universale. Ità hodiè communis sententia, quam latè probat Fagn. (*in c. Quoniam 13. de Constit. à n. 8.*) Ratio est, quia declaratio nomine Papæ facta authentica est, et vim habet juris Pontificii: (*arg. l. 12. §. I. C. de LL.*); sed declarationes S. Cong. Conc. fiunt nomine Papæ: tum quia dicti Pontifices hanc facultatem interpretandi concesserunt Cardinalibus; tum quia declaratio comprehensiva non facit novum jus, sed solum jus præexistens declarat, adeòque nititur auctoritate papali, sicut ipsa decreta Tridentini; tum quia interpretationi Cardinalium non minor auctoritas attribuenda est, quam responsis prudentum, quorum interpretatio pro lege suscipiebatur (§. 9. *responsa de J. N. G. et. C.*); tum denique quia interpretationes istæ fiunt de consilio Papæ, ex Bulla Sixti V. *ibi: nobis tamen consultis*; ergò. Undè Greg. XIV. per litteras in forma Brevis eidem Sac. Congr. concessit auctoritatem scribendi nomine Papæ, et eadem S. Congr. (teste Garcia *de Benefic. p. 1. in præf.*) ità rescripsit Abbatissæ Messanen si: eadem ratio habenda est in his, quæ scribuntur à Cardinalibus ejusdem S. Congr. nomine, ac si à Papa scripta essent. Porrò, ne qua fraus fieret per istas declarationes, ex decreto Urbani VIII (1651 *die. 2. Aug.*) sancitum est, ne declarationibus Cardd. sive impressis, sive manuscriptis fides adhiberetur in iudicio, vel extra, nisi producantur in forma authentica, scil. munitæ solito sigillo, et subscriptione Cardinalis præfecti ac Secretarii ejusdem Congregationis. Hinc Fagnanus, qui multis annis ejusdem Congregat. Secretarius fuit, in principio suorum operum monet lectorem et protestatur quod responsa S. Congr. quæ sparum affert, minimè habenda velit pro authenticis, quando Cardinalis Præfecti et Secretarii subscriptione, signoque carent. Quod benè notandum est, contra quosdam qui zelo indiscreto propter compendiola declarationum susque deque omnia invertere volunt cum maxima difformitate in actionibus, obligationibus, divinis officiis, et cæremonis, ac ritibus: sed si immutanda sunt quæpiam in diœcesibus recepta et usu firmata, expectandum erit mandatum Ordinarii. Undè meritò La Croix, qui magna ex parte Theologiam Moralem his declarationibus implevit, et uniformitatem Ecclesiarum procurare voluit, à quodam Patre S. J. Romæ degente monitus fuit circa has declarationes, ut ipsemet refert *in fin. tom. VII*, tum quia non constat, an decreta illa compendiata, prout jacent, authentica sint; tum quia decreta ista sæpè dantur pro casibus et locis particularibus. Si ergò romani doctores ignorant, quanto magis in nostris partibus dubium esse potest de sinceritate harum declarationum? At si nobis certò constiterit de aliqua declaratione, saltèm ex fideli et communi relatione scriptorum gravium,